



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

86. Ferdinandi Secundi Imperatoris Diploma Dat. Anno MDCXXVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

extantium & futurorum subsidiorum, morosi fueritis, tunc illo ipso tu, illique non solum in pœnam eiusmodi incidistis, sed suæ Dilectioni, quia eiusdem possessio, vel quasi pro allegato modo probata est, integrum erit possessionem habitam per se manuteneret ac tueri, viaque executoria procedere. Ac deinde ut tu Sancti Maximini Abbas, & Maximiniani subditi, aut quiuis alius, suam Dilectionem allegata & dicto modo manifesta, antiqua, usurpata, sententiis iuribusque confirmata, iuris collectandi vel quasi possessione, nullatenus deinceps turbare aut molestare debeatis. Verum, si quippiam in contrarium, siue in plenario possessorio, siue petitorio, conquerendum sit, id ipsum in locis competentibus fiat & deducatur. Vbi sua Electoralis Dilectio Iustitiae complementa non retardabit. Tibi insuper Abbatii auctoritate nostra supradicta Cæsarea mandamus & volumus, ut ob suæ Dilectioni causatas, & te auctore, coepias supradictas inuasiones Archiepiscopatus, obque violatum territorium, & inde exortos sumptus, vnde Treuirensibus subditis aliquando periculosa turbatio nasci posset, ab istis omnimodè abstineas. Iubemus quoque ac citamus vos prædicta nostra authoritate Cæsarea, ut post lapsum duorum mensium, insinuatum hoc nostrum Cæsareum mandatum, quem vobis pro primo, secundo, tertio, postremo ac finali Iudiciali die ponimus, & peremptorie denominamus, aut, quo casu ille Iudicialis dies non foret, ad proximum deinde sequentem diem Iudiciale, in aula nostra Cæsarea, vbi cunq; tunc illa fuerit, compareatis, quod huic nostro Cæsareo mandato, quoad omnia contenta obedienter fuerit obtemperandum, ad fideliter declarandum, vel (quo non) ad videndum: & audiendum vos præfata pœnam incurrisse sententiâ, & per seuentiam Iure decerni & declarari, vel ad legitimas causas preferendum, cur ista declaratio fieri non debeat, & definitiūam, super hoc sententiam, exspectandum: Nam siue tum compareatis, siue non, nihilominus tamen procedetur in Iure ad instantiam partis obtemperantis, prout iustum & æquum videbitur, & secundum hæc vos disponatis. Datum in nostra & sacri Imperij Vrbe Ratisbonâ 12. die mensis Octobris Anno 1613 Regnum nostrorum: Romani secundo, Vngarici quinto, Bohemici tertio.

## 86.

*Ferdinandi II. Imperatoris Diploma, Datum Anno  
MDCXXVI.*

**F**ERDINANDVS Secundus diuinâ fauente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Schluoniae, &c. Rex. Archidux Austriae. Dux Burgundiæ, Brabantiaæ, Stiriaæ, Carinthiaæ, Carneoliæ, &c. Marchio Moraviae, &c. Dux Lumburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ & Teckæ, Princeps Sueviae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferreti, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperij, Burgouiaæ, ac superioris & inferioris Lusatiaæ, Dominus Marchiæ Sclauonicæ, Portus Naonis & Salinarum, &c. Ad perpetuam rei memoriam agnoscimus, & notum facimus tenore præsentium vniuersis. Toties Imperialis Aquilæ sceptrum extollitur altius, & ipsius status à Domino ( à quo datur omnis potestas ) gubernatur felicius: quoties loca Vicario cultui dedicata ab irruentibus vnde molestiis piâ sollicitudine præmuniuntur, ijsdemque stabilien-

dis ac conseruandis iugiter inuigilatur. Attendentes igitur Monasterii Sancti Maximini in suburbio Ciuitatis Imperialis Treuirensis constructionem & donationem à prædecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus institutam, & religiosorum ibidem exactæ vitæ professionem, obseruantiam, & deuotionem: dignum iudicamus, vt quod per illos bono zelo erectum extitit, per nos sedulò conseruetur, quo & diuinus cultus augeatur, & sanctis atque electis Dei maior ibidem in dies honor exhibeat. Hocque ex eo maximè futurum arbitramur, si Abbas & Religiosi ipsi in bona quiete & tranquillitate à nobis, tanquam Romanorum Imperatore, cuius Protectioni, & Saluaguardiae immediatè subiacent, defendantur & foueantur. Quare cum Honorable Agrius Abbas, & Conuentus Monasterij Sancti Maximini humiliè à nobis petierint, quatenus de solitæ benignitatis nostræ clementia, eis omnia & singula Priuilegia, literas, libertates, concessiones, donationes, immunitates, iura, feuda, iurisditiones & gratias, quas, & quæ, à Diuæ memoria Romanorum Imperatoribus & Regibus, Prædecessoribus nostris, item Ducibus Burgundiæ, atque alijs Principibus & Christi fidelibus obtinuerunt, approbare, innouare, ratificare, confirmare, & nouis augmentare gratosius dignaremur, æquum omnino esse duximus, ad imitationem & emulationem Prædecessorum nostrorum, Romanorum Imperatorum & Regum, usquead tempora Rudolphi Secundi Imperatoris, Augustæ memorie, iam dictum Abbatem & Conuentum, ipsorumque Monasterium nostra quoque confirmationis munificentia, vt, quod per Prædecessores nostros piffissimo zelo erectum extitit, per nos sedulò conseruetur, locupletare. Idcirco ad laudem & gloriam Dei omnipotentis, intemeratae eius genitricis Virginis Mariae, & Sanctorum Ioannis Apostoli & Euangelistæ, Maximini, Agrii, Nicetii, Bassini, Meomadi & aliorum, quorum ibidem requiescunt corpora, maiorem honorem, diuini cultus augmentum, & Imperialis nostræ potestatis, Romaniæ Imperii, ac nostræ posteritatis incrementum, vniuersa priuilegia, literas, concessiones, libertates, confirmationes, immunitates, iura, feuda, castra, flumina, munitiones, oppida, villas, terras, dominia, iurisditiones, consuetudines, honores, consuetas & laudabiles obseruantias: inter quas, has specialiter exprimendas esse duximus, vt Abbas, sicut sub Diuis Prædecessoribus nostris, Romanorum Imperatoribus & Regibus, &c. sic & sub nobis, & Successoribus nostris titulo Archicapellani Romanorum Imperatricis gaudeat & vtratur. Aduocatias omnes, quæ ad Monasterium spectant, cum sibi commissa Cotgregatione, cui velit dandi, cuique velit tollendi, potestatem in perpetuum habeat: nullus ab illorum nauibus, bonis & hominibus telonium exigat, & quandocunque diuinâ vocatione Abbas obierit, & ad loca meliora transferit, fratres liberum inter se, iuxta antiquam consuetudinem & Regulam Sancti Benedicti eligendi Abbatem habeant arbitrium, alia que omnia & singula priuilegia & gratias prædictis: Abbatu, & Conuentu, ipisque Monasterio Sancti Maximini in capite & in membris à fecolenda memoria Romanorum Imperatoribus indulta vel indultas, concessa vel concessas maturo præcedente consilio, ex certâ nostrâ scientiâ, & de Imperialis nostræ potestatis plenitudine in omnibus clausulis, articulis, punctis & sententijs, ac si prædictorum Priuilegorum, literarum, donationum, libertatum, concessionum iurium, feudorum, consuetudinum, honorum et bonorum omnium tenores presentibus de verbo ad verbum essent inserti, approbamus, innouamus, laudamus, ratificamus, & præsentis Diplomatis patrocinio

et au-

& authoritate Imperiali confirmavimus. Præterea ipsum Sancti Maximini Monasterium (quod sacri Romani Imperij specialis domus ac reseruata camera existit) eiusque Abbatem & Conuentum, cum omnibus & singulis eorum bonis, villis, oppidis, iuribus & libertatibus, possessionibus, redditibus, subditis, hominibus, seruitoribus, familiaribus, vbi cunque locorum sitis, in nostram singularem ac sacri Romani Imperij protectionem, guardiam, & defensionem recipimus. Volumus insuper, & distictè præcipimus vniuersis & singulis, & speciatim Venerabili Archiepiscopo & Electori Treuirensi, aut qui pro tempore rerum potietur, ut præfatos: Abbatem & Conuentum, eorumque Monasterium, cum omnibus & singulis ipsius membris, subditis, bonis & pertinentijs, vbi cunque locorum ea sita sint, salua semper & immunia teneant, nec illis munera publica vel priuata, neque onera, neque vexatas, neque exactiones, neque telonia, neque alia quæcunque grauamina, quo cunque nomine censeantur, contra expressum priuilegiorum tenorem imponere, vel ab ijsdem exigere presumant, sed potius eos in nostris & Diuorum Prædecessorum nostrorum Priuilegijs ac confirmationibus tueantur & defendant. Cassantes nihilominus & annihilantes, omnia & singula mandata, exactiones & grauamina quæcunque huic nostro Imperiali Priuilegio contraria, à quo cunque, quo quis modo attentata fuerint. Mandamus proinde vniuersis & singulis Electoribus, alijsque Principibus Ecclesiasticis & secularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Capitaneis, Præfectis Ciuitatum, Oppidorum & locorum Communitatibus, & Rectoribus corundem, cæterisque nostris, & Imperij sacri fidelibus, dilectis, & præsertim Serenissimo Hispaniarum Regi Catholico &c. præsenti & futuro tanquam Duci Luxemburgensi, & Cæsareo ac Regio ipsius Monasterij Aduocato, quatenus præfatum Abbatem, Conuentum & Monasterium, ac subditos, homines, bona, redditus & iura ipsorum ab omnibus iniurijs, molestijs, oppressionibus, perturbationibus, & violentijs autoritate nostrâ protegant, manuteneant, defendant & conseruent, quotiescunque necessarium erit, aut per ipsos, vel eorum nuntios seu procuratores requisiti fuerint. Decernentes, præcipientes & volentes prædicta, & eorum quodlibet, ut præmittitur, perpetuis temporibus obtainere inviolabilis roboris firmitatem. Nulli ergo omnino hominum licet hanc nostræ confirmationis, corroborationis, innovationis, protectionis & Decreti paginam infringere, aut ei quo quis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, nostram & Imperij sacri indignationem grauissimam, ac pœnam quinquaginta Marcharum auri puri, pro dimidia Fisco seu æratio Imperiali, pro reliqua verò iniuriam passi ac pañorum vñibus toties, quoties contra factum fuerit, se nouerit ipso facto irremissibiliter incursum. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Ciuitate nostra Viennæ, die duodecima Mensis Octobris Anno Domini, millesimo, sexcentesimo, vigesimo sexto, Regnorum nostrorum: Romani octauo, Hungarici nono, Bohemicuero decimo.